

## C A P U T VIII.

*De Provocatione ex Lege diffamari.*

§. 73.

**S**i quis se jactaverit, tertium sibi Debitorem esse, huic posteriori fas esto, diffamantem coram suo, provocantis videlicet, Judice convenire, ac postulare, ut ille de affer-  
to suo docere jubeatur, secus vero perpetuum silentium eidem super debito prætenso impo-  
natur.

§. 74.

Provocans objectum controversiæ, & de-  
bitum, de quo provocatus se jactaverit, per-  
spicue exponat, ac simul adminicula legalia,  
quibus jactationem a provocato factam, in ca-  
su, quo eadem negata fuerit, demonstrare  
confidat, rite producat.

§. 75.

Super hac Provocatione Judex provocato  
injungito, ut ad jactationem sibi insputatam  
respondeat, aut pro re nata Petitionem suam

*Proc. Jud. Translly.*

C

por-

porrigat, vel secus perpetuum silentium sibi  
eadem in causa impositumiri sciat.

§. 76.

Provocato hunc ad finem iidem Terminii  
præfigendi sunt, qui e praescripto §. 39. Reo  
convento pro responsione præsentanda adsi-  
gnari debent.

§. 77.

Quod si provocatus, vel responsionem  
super imputata sibi diffamatione, vel petitio-  
nem suam debito tempore porrexerit, in  
priori casu, quemadmodum super alia qua-  
vis Responsione seu Exceptione, in altero  
vero, sicut super alia quavis actione, seu Pe-  
titione judiciali procedendum est.

§. 78.

Si vero Provocatus in Neutro morem  
gesserit, Judex eidem ad Postulationem pro-  
vocantis statim perpetuum silentium impo-  
nito. Causam vero, cur id fiat,clare ex-  
primito.